

v. 22. Viri Israëlitæ, audite verba hæc : JESUM Nazarenum, Virum à DEO demonstratum inter vos virtutibus & miraculis & signis, quæ fecit per ipsum DEUS in medio vestri, sicut & ipsi nostis.

v. 23. Τῆτον τῆ ὤρεσμένη βελῆ καὶ προγνώσει τῆ Θεῶ ἔκδοτον λα-  
βόντες, Διὰ χειρῶν ἀνόμων προσωήξαντες ἀνείλετε.

Hunc (*inquam*) definito consilio & præscientiâ DEI deditum, accipientes per manus iniquorum, crucifigentes interfecistis.

v. 37. Cum autem audirent, compuncti sunt corde, dixeruntque ad Petrum & reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres?

v. 38. Petrus verò dixit ad illos: Pœnitentiam agite & baptizator quilibet vestrùm super Nomine JESU CHRISTI in remissionem peccatorum &c.

Describitur hœc locô, quô modò DEUS ad proditionem & crucifixionem concurrerit? Permittebat DEUS, invitabat Judæos ad pœnitentiam, impœnitentes tradebat Satanæ, tunc sequebatur actus justitiæ & gloriæ ejus.

#### ANTITHESIS.

Est eorum, qui DEUM faciunt peccati causam.

## ARTICULUS IX.

DE

## PERSONA CHRISTI.

### APHORISMUS I.

Quis sit  
Christus?

Christus est persona una, è duabus naturis constans, divinâ, quam ab æterno ex essentiâ Patris habuit, & humanâ, quam ex substantiâ Mariæ in tempore propter salutis nostræ mysterium inseparabiliter adsumsit.

#### EXPLICATIO.

Ratione ordinis observandum, quod sequamur *ordinem nature*, quando prius de Christô agimus, quod enim *temporis ordinem* attinet, actus gratiæ fuerunt simul. Hinc quamvis alii prius de prædestinatione

natione